

III.
NEOVIDENSIS

Nro 12. (*Neovidensis* 1806. Nro. 5.)

*Ex Campis Elysiis Colloquium Politicum vita
functorum.*

Elysiun -- Meum. -- Die Veneris, 31. Jan. 1806. (Neov. 14. Jan.)

Hoc Reges habent
Magnificum, & ingens; nulla quod rapit dies
Prodesse miseris, supplices fido lare prote-
gere.

Colloquentes Umbræ:
Christianus Gutschmid, & Joannes Widden.

Gutschmid. Utique etiam tu summam ca-
pis ex eo voluptatem, quod tuus terræ Prin-
ceps ad Regiam dignitatem sit proventus?
Ergo certum, Bavariam, & Würtembergam
esse regna.

Widden. Non tantum propter dignitatem
regiam; sed etiam propter jura, & præroga-
tivas cum ea connexas lætitia afficior. Non
quæretne Saxonia, tua quondam patria, cu-
jus Ministrum egisti, hanc honoris amplitu-
dinem?

Gutschmid. Ego ita existimo, ob hos no-
vos titulos nullum principatum esse inducen-

dum inter ordines imperii, vel in collegio Electorum. Borussia, assumpta Regia dignitate, nihil immutavit de priore Electorum loco. Ratione dignitatum, prærogativarum, aliorumque honorum, Rectoribus regnorum, eorumque vices gerentibus præstari solitorum tam varia sunt constituta, ut inde integra scientia observantiæ populorum, comparate ad internas regni alicujus ceremonias, formari possit, quæ licet maximam partem consuetudini tantum innitatur, attamen meretur locum habere in jure gentium potissimum propterea, quod ejus recepta principia sæpius magis observentur, atque ipsa maxime solennia pacta. Generatim prærogativæ Electorum maximi semper erant momenti.

Widdén. Explicæ, quæso, rem omnem, ut se habet.

Gutschmid. Præcipuus fons, ex quo derivantur prærogativæ dignitatis Electorum, sunt honores regii, quæ ipsis ex jure gentium Europæo, tam vi antiquæ consuetudinis, quam etiam specialium pactorum absque omni controversia debentur. Hujus rei origo repetenda est a vetustissimo more, quo prisci Archiprincipes, a quibus Electoralis dignitas promanabat, jam ante bullam auream pares habiti sunt Regibus, imo nonnunquam etiam Reges dicti. Consectarium horum regionum honorum Electoribus exhibitorum est, illos a Regibus titulo: Fratrum & Serenissimorum fuisse compellatos. Interim tamen haud est consuetum, ut Electores vicissim Fratres no-

minent Reges, & si id aliquando factum fuisse legatur, una observare licet, eos voci Fratris præposuisse nomen Domini. Electores præcedunt liberas quoque Respublicas, quemadmodum Reges, tametsi hoc jns Respublica Batavorum in quæstionem vocaverit. Cæterum etiam occasione assumptæ novæ dignitatis, secundum jus gentium Europæum non solent præteriri Electores, qua de re memoratu dignum edidit specimen A. 1746 Imperatrix Russiæ, peculiarem enim ad collegium Electorum dimisit legationem ea solum intentione, ut ejus Imperatorius titulus recognoscatur.

Widdén. Liceat mihi, pace tua, hoc loco unicum interserere animadversionem. In hodierna duorum Electorum ad Regium thronum promotione, spectanda venit etiam eorum utilitas, seu incrementum imperii, utrique cum hoc splendore copiosæ obtingunt provinciæ; ordo equester, veluti in Borussia, & Austria, subit conditionem vasallorum. Omnia beneficia jure fiduciario administrabunt, quod ego ex æquo, & bono futurum judicaverim. Inter hæc æque, ac Borussia, & Austria pertinebit ad statum Imperii Germanici.

Gutschmid. Sed, quæso, adjicientne ad has novas dignitates aliæ etiam gentes suum calculum?

Widdén. Olim Imperatores, & Romani Pontifices usurpabant jus distribuendi coronas, cogeabantque cæteros populos ad agnosendas novas Regibus tributas prærogativas.

Verum his omnibus jam abunde provisum est. Hoc jus videtur Imperator Gallorum modo, minimum quod Cæsaream ejus majestatem attinet, revexisse. In hoc consensit Cæsar Germaniæ in pace Posonii confecta. Idem sine dubio factura etiam est Borussia, Supremum autem Reipublicæ Christianæ caput nullam amplius politicam habet in similibus mutationibus auctoritatem.

Gutschmid. Memoria nostra tota Europa longe alio utitur principio, videlicet: posse quidem quemlibet populum suo Imperanti, omnem, qui illi collibuerit, titulum tribuere, extraneas tamen gentes ad eum agnoscendum non obstringi; Omnia hæc innituntur pactis, & usui inter exteros recepto, ut adeo hæc agnitio etiam sub conditione fieri possit, quemadmodum testantur exempla in pedetentim tantum agnito Regis Borussiae, & Imperatoris Russiae titulo, Assumpta in Russia Imperatoria dignitate Hispania, & Gallia exegit ab Imperatrice Elisabetha scriptam stipulationem, huic titulum nullum pondus habiturum in principatu, dumque Imperatrix Catharina II tergiversaretur hujus promissi præstare renovationem, generalemque tantum faceret declarationem, eadem gentes interposita contradictione significarunt, se, si forte tentaret inturbare stabilitum priorem locum, Imperatorium titulum denegaturas.

Wüden. In domo Bavarica, non puto, ut tales quæstiones locum habeant. In Bavaria enim inde a sæculo quinto usque ini-

tium noni Reges regnabant. Ut nihil dicam de Aldegeris, Theudonibus, Thassilonibus, Theodobertis, aliisque vetustate oblitteratis nominibus, constat ex Historia, Imperatorem Ludovicum pium Bavariam in regnum transmutasse, suoque filio tertio genito dedisse A. 819, qui dein nomine Ludovici germanici gloriabatur. A. 828 Carolomannus, filius Ludovici I. summa cum potestate præerat Bavaricæ. Hunc excepit Arnoldus, qui primum Cæsarea dignitate, postea vero A. 890 fati functus est. Successit Leopoldus, huic vero Arnulphus malus, qui contra Imperatorem Henricum I. seditionem movit. Tandem injuria temporum Bavaricæ possessiones eversæ sunt. Illustris denique stirps Witelsbachia obtinuit Bojariam, inde potissimum celebranda, quod duos dederit Germanicæ Cæsares, multos Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ Reges, ac complures Hollandiæ Comites, & Electores. Itaque instauratus hodie regius splendor est tantum redintegratio pristinae dignitatis, qua serenissima hæc familia jam dudum in aliis regnis gaudebat.

Gutschmid. Quapropter affirmo cum illo sapiente: Nobilissimum donum, quod Dii hominibus dare possunt, est Rex, qui suum populum amat, & ab eodem redamatnr; qui suis vicinis fedit, eorumque fiduciam tenet; qui denique sua justitia, ac humanitate felicitatem suorum populorum apud alias etiam nationes ad invidiam usque promovet. Rex,

inquit Mentor Telemacho, potest omnia apud sibi subjectos, at male facere legibus prohibetur. Leges concedunt illi populum, tamquam pretiosissimum pignus, ut sit ejusdem Pater. Illæ præcipiunt, ut unus multorum commoda sua prudentia, & moderatione augeat, minime vero eosdem ambitione in servitutem, & miseras præcipitet. Gubernet ille Rempublicam secundum leges fundamentales, uti Deus legibus naturæ mundum moderatur. Semper palma, quam bellum spondet, abditis circumsepta est spinis.

Widdén. Hæc sunt beata tempora, quæ omnes populi avidissime expectant. Horrida bella dissiparunt hominum felicitatem. Regna alia prostrata jacent, alia consurgunt. Pax videtur firmiore constitura talo, venit, & jacet solidiora fundamenta. Doctrina Christi, — disciplina in Europa recepta, qua omnes alias mundi partes superamus, regnet in cordibus Regum, & populorum. Hæc est ferrea illa arx, quæ omnibus adversitatibus, infortuniis, atque oppressionibus resistit. Nescio quam jucundam, ab intimo sensu prodeuntem exaudiam vocem: — Populi, & nationes gaudete, — Christi doctrinam profiteamini; Pax vobis!

BIOGRAPHIA.

Gutschmid. (Christianus, Liber Baro) Electoris Saxoniae intimus Status Minister, Ordinis S. Andreae, & S. Alexandri Newszky, Eques, A. 1721, 12. Decembris natus in Lusatia inferiore ad Cotbusium, ubi ejus Pater, Christophorus, Fridericus Augustanae confessionis curionem egit. Studiis dedit operam Hallæ, & Lipsiæ ubi A. 1750. laurea juris fuit ornatus. A. 1756. publice prælegit jus Feudale. A. 1758. fuit Dresdæ Aulicus justitiæ consiliarius, & secretior Referendarius, Anno vero 1762 tabularii custos. A. 1763 gessit consulatum Lipsiæ, & una fuit interior assistens consiliarius Dresdæ. A. 1766 renunciatus est Dresdæ Provincialis gubernii Procancellarius. A. 1770 intimus consiliarius. A. 1771 curiæ rationariæ Director; Anno denique 1790 intimus Status Minister, qua in statione 30. Decembris 1798 vivere desiit. Vir iste, dum adhuc jura traderet Lipsiæ, plures edidit dissertationes, & programmata, præterea publica scripta tempore confectæ pacis Hubertsburgensis, aliisque occasionibus. Rara rerum cognitio, & singularis diligentia ei munera procurarunt, quæ ei ornamento erant, sed quæ ille quoque egregie ornaverat. Hi tamen honores nunquam mutarunt ejus vivendi rationem. Cum indefessa ejus in publicis muneribus industria sola ejus probitas potuerat comparari. Tam præclarum virum ejus Princeps

summa fiducia, & vero affectu est complexus.

Widder (Joannes, Gosvinus) Electoris Bavariae consiliarius, & Camerae director Manheimensis lucem primam aspexit Dürckheimii 7. Januarii A. 1734, factus secretarius Monachii, & A. 1787 a consiliis in collegio regiminiis supremo; Hoc in munere constitutus profectus est A. 1790 Manheimium, sed A. 1800 26. decembris decessit Monachii. Edito opere, quod inscribitur: *Versuch einer vollständigen geographisch-historischen Beschreibung der Pfalz am Rhein*; in 4 Tomis 1786 — 88. optime est meritus de geographia; Extant etiam aliqua ejus opuscula de re numismatica. Munere suo fungebatur summa sedulitate, cui singularem adjunxit morum integritatem; Novit singulorum fiduciam promereri, unde factum, ut omnibus intima familiaritate jungeretur.
